Cosmus Medix Pater Patriæ ex publico Decreto

Quam grate debeant esse Res publicæ, prudentissimi Viri, erga eos Cives, qui bene de sua Patria meruerunt, ex antiquorum Liberis, et Monumentis facilè intelligi Licet: quorum tempestate consuetudinem fuisse tradunt in bene moratis, benequè institutis Civitatibus: ut prestantibus virtute viris, ac preclarè de sua Patria meritis, publici deferrentur honores: qui ad celebrandam eorum memoriam pertinerent. Nam, et in Græcia ab Atheniensibus: Thebanis: Lacedemoniis: Rhodiis, et in Italia a Romanis. hunc morem sic servatum fuisse accepimus, ut frequenter aliis in Foro Statuas, aliis Sepulcra in Campis: aliis aliud honoris genus ob bene gestam rem publicam ex Senatus Populique auctoritate decernerent. Censebant enim nihil esse in hac vita preclarius: nihil excellentius: nihil sanctius: quam in administranda Re publica Patriæ suæ pietatem officiumque prestare. Vos autem prudentissimi Cives, qui originem Florentini generis in Romanos refertis, non solum oportet, sed etiam decet, in decorandis Civibus vestris, qui bene de re publica meriti sunt majorum vestrorum consuetudinem imitari. Sed si fuit unquam Civis ullus, cui aut in vita, aut in morte justi honores habiti sint, procul dubio Cosmo Medici, ob egregia in rem publicam merita, maximi amplissimique debentur: qui paucis ante mensibus vita functus, et auctoritatis, et prudentiæ suæ ingens nobis desiderium reliquit. Erepta est enim nobis humanitas: Sapientia: Virtus illius optimi Patris: in quo omnia bona reperiebantur, quæ ab hominibus expeti solent. Nam ut omittamus illius opes: nobilitatem generis: parentes: majores: qui bello, et pace magna beneficia in hanc rem publicam contulerunt: ut post habeamus etiam amicos:

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE

affines: famam: dignitatem: muneraque preterea, quibus eam natura vehementer ornaverat, alia majora se se offerunt nobis; quibus maxime, ac verissime Laudes continentur Liberalitas: magnificentia: Sapientia: doctrina: animi magnitudo: constantia: gravitas: fides, ceteræque virtutes ejusdem generis, quæ sibi, atque huic verbi famam ubique gentium peperere. Verum, prestantissimi Cives, ante omnia in oculis, atque animis vestris habere vos decet illius perpetuum studium in Libertate servanda: amorem: et propensam voluntatem in re publica tuenda: atque in ea tranquillitate locanda, quam Sapientes viri optimis rerum publicarum gubernatoribus proposita esse voluerunt. Semper enim, ut scimus, ille optimus pater de salute rei publicæ cogitavit. Semper huic Patriæ opera: consilio: diligentia adfuit, et quod minime videri debet in gravissimis periculis Civitatis Sype togatus, et inermi armatos exercitus auctoritate, et prudentia sua ex finibus vestris ejecit. Vidimus aliquando potentissimos hostes huic rei publicæ arma inferre: eadem claritas: incendia agris: patriæ denique tam pulchræ, tamque egregiæ servitutem minari. Vidimus ex altera parte Cosmum, veluti optimum gubernatorem hujus Navis, magno animo his tempestatibus obviam ire, ex maximisque periculis Civitatem eripere, ac in eam tranquillitatem perducere, qua nec major erat, nec tutior a suis Civibus expetenda. Repressi enim consilio sui potentissimi hostes: gravissima bella restincta: pax non solum per omnem Italiam parta, sed etiam veterum amicorum societate firmata: ipsi denique Cives talem concordiam consensionemque amicorum in re publica gerenda consecuti sunt, qualem nunquam

majores nostri videre potuerunt. Hęc cum ita sint, Magnifici, ac Excelsi Domini Priores Libertatis, et Vexillifer Justitię prudentissimi viri Civitatis vestę cum horum beneficiorum non velint ipsi immemores, gratiam, si non parem meritis suis: eam tamen quam possunt, referendam putant: idque honoris genus tribuendum arbitrantur: quod maximè ad nomen illius honestandum, et amorem suorum Civium indicandum pertineat. Quare ita censent cum Cosmus Joannis filius Medix summa, atque amplissima beneficia in rem publicam Florentinam bello, et pace contulerit, semperque Patriam suam omni pietate conservaverit: adjuverit: auxerit, eique magno usui, et gloriæ fuerit usque ad Supremum vitę diem placere ex vestra auctoritate, et huius ordinis sententia decerni, ut deinceps Pater Patriæ vocitetur, atque hoc egregium nomen publicis institutionibus inscribatur, imperetturque Decem Viris, quibus huius honorandi cura publicè commissa est, ut hoc Decretum, ubicunque eis visum fuerit honorificentissimis verbis scriptum locetur: idque extet ad perpetuam suorum meritorum suęque pietatis memoriam, et grati populi testimonium, et posterorum exemplum: quod eos excitet alacioresque reddat ad Libertatem Patriamque tuendam, cum viderint vos quam grati, quamque memores sitis erga eos Cives, qui de re publica bene merentur.

XV.° Martij 1464

Donatus Acciajolus.

I Priori, e Gonfaloniere di Giustizia, che ornorono il Nome di Cosimo, di questo ragguardevolissimo Titolo, furono i seguenti cioè

Antonius Fantoni Naldi Fantoni } S. Spirito
Lucas Antonij Blasij Torrigiani }
Nicolaus Andreuoli Nicoli Franchi Sacchetti } S. Croce
Bartolomeus Nerardi Bartolomei de Nerardis }
Bartolomeus Federigi Boccacij D. Antonini Boccacci } S. Mar.
Marius Nicolaj D. Lucci de Nobilibus } Novella
Averardus Bernardi Antonij Giovenchi de Medicis } S. Giovanni
Antonius D. Alexandri Ugonij de Alexandris }

Nicolaus Joannis Michi de Capponibus Vexillifer S. Spirito

Dal Sud. Averardo dei Medici discendono i Medici di Via Larga

N.B. Il nominato Cosimo Pater Patriæ morì a Carreggi il dì 31. Luglio 1464